



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

1. Vtrum detur actus voluntatis indifferens secundum suam essentiam vel speciem.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

DISPUTATIO IX.

De indifferentia actuum voluntatis, & sufficientia divisionis in bonum, & malum.

Explicata qualitate precedentis divisionis, solum superest declaranda sufficientia eius, quae solum pendet ex cognitione actuum indifferentium. Est autem advertendum hanc indifferentiam duplicem esse posse: vnam in ratione meriti, & demeriti, ut si sit actus qui nec meritorius, nec demeritorius sit, quae ab aliquibus hic tractatur, sed non est huius loci: alia est in ratione bonitatis, & malitiae, & de hac proprie est sermo, quae tractatur à D. Thom. de specie, & individuo, non autem de genere, vel quia consistat actum morale in communi, seu in genere posse abstrahi à bono, & malo, vel quia per speciem intelligit totam essentiam actus praecise sumptam, per individuum autem intelligit actum prout est in re, & includit non tantum essentialia, sed etiam accidentales circumstantias quae illum moraliter afficiunt.

SECTIO I.

Virum deus actus voluntatis indifferentes secundum suam essentiam, vel speciem.

I. Prima sententia affirmat omnes actus esse indifferentes secundum suam essentiam, quia omnes possunt bene, vel male fieri pro diversitate intentionum, vel circumstantiarum: haec partem referunt Magister in 2. d. 40. & D. Thomas qu. 1. de malo art. 4. & in actibus exterioribus possunt habere aliquam probabiliter speciem, qui cum sint boni, vel mali per denominationem extrinsecam ab actibus internis, ut diximus supra, nullus ferè est, qui vel non possit mala voluntate fieri, vel etiam bona saltem ignorantia interueniente. In actibus autem internis non potest hoc probabiliter dici, quia ostensum est plures esse actus voluntatis intrinsece bonos ex obiecto, & idem est de malis, praesertim loquendo moraliter, & non fingendo casus inuitatos, imo etiam in actibus externis, si considerentur secundum bonitatem, & malitiam obiectivam, id non potest esse verum, quia plures sunt actus natura sua mali, & prohibiti obiective, & alii etiam sunt boni, & honesti, quia haec bonitas, & malitia non sumitur ab extrinseca denominatione ab actu interiori, sed ex convenientia: vel inconvenientia intrinseca ad rationalem naturam, ut dictum est: vnde sicut in formis, & motibus naturalibus, quaedam sunt naturales, aliae violenter natura sua respectu alterius naturae: ita etiam in actibus humanis reperiri potest. Vnde sit multo minus posse esse probabilem aliam sententiam à Magistro relata, quae dicebat aliquos quidem actus esse bonos, nullos autem malos: sed omnes, qui boni non sunt esse indifferentes: quod possit aliquo modo verificari, si esset sermo de solis entitatibus positivis, quae ut sic, praecise sumptae malae non sunt, ut supra dictum est: tamen, absolute loquendo, & ut Philosophi morales loquuntur, illud non est verum, quia aliqui sunt actus,

quibus intrinsece est adiuncta turpitudine, ut supra dictum est, quod primo, & per se verum est de actibus externis quoad malitiam obiectivam: consequenter etiam de internis per se loquendo, quia sumunt rationes suas ex obiectis suis.

His ergo omis, quae ex dictis satis constant, est alia opinio quae communiter Scoto tribuitur in 2. d. 7. & 41. Qui negat dari actum indifferentem secundum speciem: cum tamen illum admittat in individuo, ut postea videbimus, putat actum voluntatis adaequate dividi in bonum, & malum ex obiecto, neque in hoc posse reperiri medium: sed actus sumit speciem ex obiecto: ergo eadem ratione non poterit reperiri medium inter bonum, & malum in specie. Maior probatur, quia omne obiectum voluntatis, aut est dissonum rationi, & sic constituit actum malum in specie, aut est rationi consentaneum, & sic constituit actum bonum, neque inter illa duo potest medium reperiri, quia hoc ipso quod res non discordat à recta ratione, est conformis illi: verum tamen Scotus procedit ex diversis principis, & aliter ut videtur nominibus, quam D. Thom. & aliter putat enim solum obiectum non sufficere ad bonitatem moralem actus, nisi adiungantur finis, & aliae circumstantiae: dicit tamen ex obiecto desumi quandam bonitatem, quam vocat obiectivam, quae licet non sufficiat ad bonitatem moralem actus, est tamen necessaria: & de hac bonitate loquens, consequenter dicit omnem actum non malum ex obiecto habere bonitatem obiectivam, quia omnis actus qui ex obiecto non est malus, talis est, ut adiuncto fine, & aliis circumstantiis possit esse simpliciter moraliter bonus: ergo habet ex obiecto bonitatem, quae ex hoc capite sufficit ad bonitatem moralem: tamen haec doctrina supra est impugnata.

III. Dicendum est primo, praeter actus bonos, & malos voluntatis dari actus secundum suam speciem, & essentiam indifferentes. Haec est mens D. Thomae 1. 2. q. 8. art. 8. & est communis sententia in 2. d. 40. Gabriel in 3. d. 23. sumitur ex Augustino libr. 2. de sermone Domini in monte capit. 28. & ex Hieronymo epistola ad August. quest. 29. inter epistolae Aug. 41. Ratio est facilis, si vocum significatio supponatur: dictum est enim supra illum actum voluntatis esse ex obiecto bonum, qui praecise ex vi obiecti, secluso omni fine extrinseco, habet bonitatem simpliciter, & rectitudinem, praesertim si nulla malitia ei extrinsece adiungatur: & è contrario illum esse malum, qui ex vi obiecti habet turpitudinem: Ne ergo dicitur indifferentes, qui praecise habitudine ad obiectum, neque turpitudinem habet, neque honestatem. Huiusmodi autem esse plures actus voluntatis, constat primo inductione, quia velle loqui, aut ire in agrum, aut quid simile, est hoc modo indifferens, cuius signum est, quia si in nullum finem bonum referatur, actus non erit bonus, ut patebit sectione 3. ergo ex obiecto praecise non habet bonitatem, si autem referatur in bonum finem, erit simpliciter bonus: ergo neque malitiam habet ex obiecto, nam si haberet, esset inseparabilis, per se loquendo, & consequenter non maneret actus bonus simpliciter. Secundo est ratio à priori, quia vè actus sit bonus ex obiecto, oportet, ut tendat in illud propter honestatem: sed potest esse actus voluntatis, qui non tendat in obiectum propter honestatem, sed propter aliam inferioriorem rationem boni, tum quia nulla malitia necessario coniuncta sit: ergo talis actus erit indifferens ex sua specie, & obiecto.

IV. Sed est communis obiectio, quia omnis species salvatur in individuo, sed non est aliqua indifferens

I. Sententia.

Quo sensu habeat probabilitatis membrum.

Quo sensu improbabili.

2. Sententia.

III. 1. Afferit affirm.

Probat affirmatio.

IV.

